NALDI (Naldo) VOLATERRAIS (1828 vers)



# AD ILLUSTRISSIMUM DUCEM FEDERICUM URBINATEM

Pour en savoir plus sur le substrat historique de cette épopée, vous pouvez aller sur *Wikipedia* et taper « République de Volterra ».

## LIBER I

V_1 Quam bonus et bello fuerit Federicus et armis
Urbinas clarus, quamvis describere quisquam
non queat insigni divinus carmine vates,
haud tamen obmittam - faveat modo Phoebus Apollo -
quae Volaterranam nuper bene gessit ad urbem
dicere : nam quis eris, valeat qui cuncta referre
facta viri, aut tantum possit qui ferre laborem ?
Quo magis, o Divae, precor, aspirate canenti

e multis aliquam partem quae gesserit heros !
Omnia namque meis complecti versibus acta
nec volo nec possum : sed, si mihi dicere carmen
vos piget, at, Musae, cultori dicite vestro :
dignatus summo nam vos Federicus honore
usque suas vobis sedes jubet esse patentes.
Est urbs, Etruscis quae pulchrior exstat in oris,
Sullanus primae cui miles originis auctor
quamque tenent orti Romano a sanguine Patres.
Ex re nomen habet : nam cum modo floreat illa,
felix prole virum atque opibus ditata supremis,
omnibus est proprio Florentia nomine dicta,
Arnus quam medius vitreis interluit undis,
ex illa pariter qui manat origine qua tu
Tybri, fluis, mansit cui jam vetus Albula nomen.
Talibus hanc igitur prisci posuisse feruntur
Romulidae fatis, ut, cum volventibus annis
progenies Medicum moderandi frena Leonis
sumeret Etrusci, seu cum caput urbis honestum
illa quidem fieret patrio cupiente Senatu,
tunc fore ne quis eam valeat laesisse tyrannus,
audeat aut Tuscos armis violare Penates,
ast, ubi venissent haec tempora, cum novus acri
consilio patriam regeret sapientior urbem
usque Petri Medicis natus, Florentia late
proferat imperium et populis dominetur abactis,
protinus et multos quos possidet illa per annos
proroget ulterius fines, si Juppiter altus
id sinat aut stabili firment si numina Parcae !
Nec dubiis ea signa dedit Laurentius heros
adventasse dies quibus aurea saecula condat :
nam queat ut melius patrios bonus ille Penates
reddere felices, primum virtutibus ut sit
curat in urbe locus, vitiis procul inde fugatis.
Sic, patria veluti templis in sede dicatis,
praecipue Virtus colitur fulgentibus armis
et Pax et socios Victoria parta per agros.
Talia dum Medici fatorum e sorte geruntur,
invidia infelix, certamine victa supremo
de te, Laurenti, Sullana cessit ab urbe,
inde quidem duplici graviter confecta dolore,
et quod victori parere coacta fuisset
et quod laetantem populum liquisset Etruscum.
Est locus inferni qui fert Acherontis ad undas,
arboribus vacuus, tum sulfure plenus adusto,
qui vomit ardentes infestus ad aethera flammas,
nec procul urbe manens illa quam montibus altis
conditor Etruscis Lydus posuisset in oris.
Huc iter arripiens, fuscis se contulit alis ;
invisit nigrosque lacus Stygiamque paludem,
expetat horribiles Plutonis ut inde puellas,
e quibus hanc, reliquis quae saevior una duabus,
talibus exacuit stimulans Dea livida dictis :
"Hanc mihi da veniam, Cocytia virgo, roganti
mortalis quisquam ne temnere numina nostra
audeat atque tuos pariter ridere furores.

Effice ne cives concordi pace fruantur
usque Fluentini, sed tristibus undique pugnis
inter se certent : odiis fera corda tumescant,
ut pater, ut populus rabidas consurgat in iras.
Nam genus hoc Medicum (tanta est fiducia facti)
saepius inde tuas jactat pepulisse sorores
teque simul, cuperes cum tu nova condere bella
inter Sullanas agitanda furoribus urbes.
Quin et Mercurii telis et Gorgone saeva
Palladis armatus nuper velut agmine facto
me Tusca Medices Laurentius expulit urbe !
Quod te per Furiasque rogo nomenque Sororum
Tartareosque lacus, Stygiae per stagna paludis,
lurida perque Canem Plutonis regna tenentem,
si quando gessi morem tibi, Diva venenis
inficiens mala corda meis, quae deinde furori
sunt magis apta tuo atque atris magis apta colubris,
hanc mihi des operam, ne gloria nostra feratur
fracta nimis, Medici penitus superata quod uni
hostiles cogar vel inulta relinquere sedes.
Quod si fata obstant nostris conatibus, aut haec
irrita vota facit nobis Saturnia Juno,
nec fas Sullanos ulli violare Penates,
at licet horribili populos, sata nocte, propinquos
protinus exagites Furiali accincta flagello.
Et Volaterranos accendere Marte feroces
jam licet et Furiis socialia rumpere jura,
tu modo, saeva, tuis erectos crinibus angues
verberibus stimules : nam tu tibi mille nocendi
sumis, acerba, modos, artes tibi mille supersunt
tu quibus in fraudem contra sua viscera patres
infestos natis rapias, modo tristia bella
quae, Dea, corde geris populis inferre superbis
ne dubites saevasque faces jactare per alta
atria perque domos et culmina sacra deorum,
donec in id veniant raptis ut protinus armis
defecisse velint violataque foedera rumpant."
Talibus Invidiae dictis, consurgit Erinnys,
horribiles tollens oculos, atque ora resolvit :
"Quam mihi sit gratum de me quodcumque petisti
hinc tu nosse potes : tenebris et nocte profunda
cum sata sim, superas patiar tamen ire per auras
luminis invisi - tanta est injuria facti
tu velut enarras quae nos grave tangit utrasque !
Ibimus hinc igitur Tyrrheni ad moenia Lydi,
ac Volaterranos bis jam mea vota secutos
aeternis versabo odiis, et foedera rumpam
quae sibi Sullanis constant cum civibus, omni
religione patrum multos sancita per annos.
Sic nos perpetuam pacem turbabimus urbe
quae viget in Tusca ; prohibent nam cetera Parcae
quae petis ut faciam : nam, dum moderanda Leonis
frena quidem Tusci Medicum domus una tenebit,
desperanda gravi tibi sit discordia motu.
Ast erit hoc aliquid nobis turbasse quietem
hostibus invisis longam, dum bella repente

inde Fluentinus populus geret acer in illos
qui temnent pia jura viros, ne nostra feratur
fama levis, praeter solitum si cesserit uni
sic impune viro tam magna potentia nostra."
Haec ubi dicta dedit, squamosi pelle draconis
currum dira tegit pro pulchris illa tapetis
frondeque pro festa volucrum dea saeva rotarum
involvit radios nigris funesta colubris,
ut caput innumerum quemdam velut ordine facto
omnibus exstaret - spectacula grata furenti
dumtaxat Divae, reliquis horrenda, vel ipsi
Tartareas poenis animas qui torquet acerbis.
Hunc Dea conscendens, surgentibus undique monstris
per caput infestum nigroque infecta veneno
pectora, cum rabidos gerat haec pro crinibus angues,
protinus Invidiam dira comitante caterva
ad se corripuit tristique in sede locavit.
Omnibus inde quidem Fraus innectenda volentem
prosequitur dominam, Scelus, et Discordia demens
et Bellona furens, et Crimina noxia currum
et Dolor infelix atque aspera Bella sequuntur.
Nec mora : digreditur diris comitata ministris,
ora modis cui tot surgunt horrentia miris
ut, cum per manes iter efficit illa profundos,
avertat vultum facies tremefacta Sororum
atque Charon tristi demittat lumina vultu.
Ast, ubi perveniunt illuc, Dea livida sedes
unde prius Ditis sese demisit ad imas,
tollunt se celeres per apertos semper hiatus
noctes atque dies. Tum visae lucis Erinnys
ingemit aspectum graviter visamque perodit.
Nec tamen abstinuit (tanta est sibi cura nocendi)
quominus invisas tristissima Diva per auras
sese proripiat Tyrrheni ad moenia Lydi,
quominus et populum nigris suffecta venenis
cogat in horrendos actum gravis ira furores.
Et jam summa tenet vestigia tristis Erinnys
urbis et eductas attingit montibus arces
cum, sibi conveniens tempus bene nacta nocendi,
ingreditur Lydos hac tempestate Penates
qua Volaterrana disceptaretur in urbe
cuinam praecipue prospectis legibus ipsa
effodienda forent aluminis inde metalla.
Sic totam cum rem curamque Benuccius auctor
sumpsisset primus jussu populique favore,
cum quoque legitime quosdam de gente Senensi
deque Fluentina socios ascisset honestos,
e Volaterranae nimirum civibus urbis
eligit inde duos, quorum si nomina quaeras,
Ingheramus erat Paulus nec defuit alter
qui Riccobalda genitus de stirpe fuisset.
Haec ubi facta videt primum Furialis Erichtho,
Infernis habitum nuper quem gessit ab oris
exuit horribilem nimium ; fit limina templi
libertatis anus quae servat : corpore vestes
accipit ejusdem, vultus imitata seniles,

et sua sacratis circumdat tempora vittis.
Quin etiam comitem juxta quae forte sedebat
admonet ut faciem sumat vultumque virilem
scribaque de multis unus quoque fiat, ut omnes
hunc, bene dum memorat quae sint facienda, sequantur.
Paruit illa Deae, faciem mentita virilem,
et sese scribas miscet ruitura per omnes :
"Quae vos, o fratres," inquit, "dementia cepit ?
An sinitis Paulum, qui vestri nominis hostis
perpetuus vobis pulchros invidit honores,
suscepisse locum fodiendi aluminis ullum ?
Anne suas ut opes, quarum sibi copia summa est,
augeat et vobis insultet victor abactis ? "
Haec ait, atque suum spiravit in ossa venenum
invidia, et tristi replevit pectora tabo,
ut Paulo cuperent, odio dum quisque tenetur,
intendisse dolos ; auxit Contugius acer
jure magistratus, nuper quem forte gerebat,
crimen, et infensus Paulo quia protinus esset
et quia seditio semper sibi grata fuisset.
Parte alia, subito consurgens vertice cano,
quae Libertatis vittas sumpsisset Erinnys
irruit, atque viros populus quos addidit acer
bissenos illis ducta qui sorte priores
urbis jura tenent, quibus est data summa potestas
quae tractanda forent agerent, male versat, et omnes
acribus impellit verbis ut rite tueri
libera jura velint, ut qui parere negarint
illorum monitis hostes habeantur acerbi
et procul a patria longas pellantur in oras.
Nam "Modo quae fiunt," ait, "huc spectare videntur
ut, Volaterranae fuerat quae protinus urbi
libertas curae, penitus sua jura remittat,
dum lucri specie Paulus favet hostibus, aut is
quem Riccobaldo fertis de sanguine cretum,
heu, magnis spolient cum vectigalibus urbem
effossis patriam non aequa sorte metallis.
Quin etiam, ut quo sint animo, qua mente futuri
in vos nimirum per me jam nosse queatis :
ex omni numero qui conduxisse feruntur
purgandum alumen (prius idem haesere volentes
Sullanis patribus quibus est ita magna libido
regnandi) exoptant ut copia nulla supersit
qua longa vobis e servitute redemptis
ad libertatem liceat remeare vetustam ;
sed sine divitiis ullis ullisque per artem
collectis opibus vestris e finibus, acri
pressos pauperie neu vos amor ullus avitae
virtutis teneat neu libertatis honores,
ut prisci quondam vos nunc sperare queatis.
Quare agite, et vestris jam jam decernite verbis,
sedibus expulsis ut conductoribus, ad vos
haec loca nunc redeant quibus est aluminis ingens
copia, qua vestri valeant ditescere cives
quave queant acres animos attollere in hostes."
Dixerat, atque gravi saevissima corda furore

complevit se dissimulans Cocytia virgo ;
nam, confessa Deam si se manifesta fuisset
horribilem, fugerent horrentia colla tumentem
sic, quibus a populo fuerat concessa potestas
ut facerent placidam spectent quaecumque quietem,
civis quisque, nefas ausus committere tantum,
decernit subito per vim quotcumque fuissent
qui curam caperent fodiendi alumnis ullam
pellantur, durisque furens agrestibus arma
porrigit atque viros quibus haec loca jure fuissent
jam conducta prius rabide propulsat, et omnes
durius inde domos quas hic conductor in oris
struxerat ut possent operam impendere labori
et quibus illud opus certe data cura fuisset
commodius facerent sub tectis, summus ab alto
cum miscet rabido tristes Aquilone procellas
Juppiter, heu, credens disjectis omnibus ille
in jus inde suum quae jam sibi dempta fuisset
inque potestatem populi loca cuncta redirent. -
Demens, qui gravibus Furiis agitatus et ira
non tum vidisset tantorum causa malorum
haec ut prima fuit, patriae velut urbis et illinc
fluxerit exitium, cum qui mandante Senatu
rite Fluentino Lydas venisset in oras
apparitorem subito pepulisset ut hostem
impetus ille ferox, cujus Contugius auctor
exstitit, usque adeo furialia verba locutus
ut neque per scelus Etrusco custode repulso
parceret aut duris verbis aut vocibus ullis
in graviter laesos populi Florentis honores.
Haec Volaterrana dum tractarentur in urbe
atque odiis varie concertaretur iniquis
civibus inter se, cum jam fera pectora Livor,
tristibus acta malis, intra sua jura teneret,
cum gravis imperium raperet Discordia, Lydos
incipiens cives agitare furentibus armis,
visa quidem multis jam tum nova signa fuerunt
urbs quibus illa foret tristem subitura ruinam :
namque ferunt nocuo ductos de sidere, tristis
quod Saturnus habet, diros arsisse cometas,
ducentes longos crines cum luce maligna ;
quin, vox inde virum crudelia fata monentum
exaudita fuit, caneret quae triste futurum
exitium cuiquam Lydis ex urbibus, aut quae
instantis fati tristes praediceret iras.
Nec qui caelestes cursus et sidera norunt
defuerant homines, qui tristia verba referrent :
aethera nimirum signis gravioribus altum
portendisse nefas Tyrrhenis civibus ingens
et caelum miseras civili sanguine caedes.
Quid referam vatum jam tum responsa piorum
edita de templis ? Horrentia Marte feroci
dum fore bella canunt, dumque ultima damna minantur
exiit atque suum volvendis fluctibus alvum
Lydius, Etruscis oritur qui montibus, amnis
per loca cuncta ruens Arnus camposque per omnes

dum trahit avulsas ruptis radicibus alnos ;
quin, tremefacta gravi concussa est pondere tellus
et simulacra deum templis sudasse feruntur.
Nec mirum : turbae tot sunt caedesque secutae
hinc Volaterranos, tot sunt civilia bella
hinc inter Lydas agitata Furoribus urbes :
namque Fluentinis cum jam remeasset ab oris
Paulus et huic patriam socius repetisset eandem
qui Riccobalda fuerat de gente creatus
est habitus magis atque magis suspectus uterque
in populum, hostili quoniam de gente veniret,
praesertim cum jam tutandi corporis alter
armatos plures circum securus haberet,
insultus credens his se vitare malignos.
Sed nihil adversis fas quemquam credere fatis :
nam, quae visa fuit certae fore causa salutis,
perdidit haec hominem, cum jam crevisset in illum
invidiae stimulus : nam cum, comitantibus armis
quorumdam, Lydam jam tum remeasset ad urbem,
creditus in patrios est arma parare Penates !
Hinc furibunda cohors duros instigat agrestes,
jamque faces atrae rapiuntur et impia saxa
et quaecumque gravis raptim furor arma ministrat.
Postibus avulsis, emoto cardine, cunctus
longa Fluentini praetoris in atria late
irrumpit populus, civesque quot invenit acer
obtruncat telis miseros ; nec claustra, nec ipsa
majestas Tusci potuit veneranda Leonis
defendisse satis, licet ii, velut esset asylum
hic locus, huc, atra ceu tempestate columbae,
fugissent populos insano Marte furentes.
Primus ibi ante omnes, graviter confossus ab uno,
credita cui fuerat bene multa pecunia quondam,
Romaeus periit, ne quod dare forte tenetur
debitor id solvat Furiis agitatus iniquis.
Nec satis hoc sceleris fuerit nisi rursus eumdem
perfidus hunc specula penitus turbaret ab alta !
Quin etiam, latebras Paulus cum forte petisset,
conatus telis saevam depellere mortem
saepius, heu, frustra, jaculis confixus acutis
concidit, ac dulcem, fumo quoque pressus ab acri,
ore vomens animam tenues migravit in auras.
Pro, scelus indignum ! Sunt qui saevire cadaver
illius in miserum, necnon volvisse ferantur
frigida cum pedibus calcarint membra perempti ;
addideruntque suis tristes odia aspera verbis :
"Sic eat hostiles animos quicumque sequatur,
quique Fluentinum praefert in honore Senatum ! "
At postquam furor est visus cessasse parumper,
nonnihil ac plebi rabidae fera corda quierunt,
demissum lapsus per funem dicitur unus,
unus qui Pauli fuerat de stirpe creatus,
dum se praecipitem turri demittit ab alta,
vitavisse vices duras populique furorem,
te duce, Diva parens, laureto cujus in amplo
Picentis terrae celeberrima templa coluntur.

Ad quae cum sese voti reus ille tulisset,
redderet ut Divae quae solvere dona pararat,
non tamen exsilium valuit pietate malignum
evitare, decem cum sic mandante viratu
a patria Tuscas fuerit detrusus in oras,
atque alii plures, quos est mora longa referre ;
nam quicumque sua justo tum voce favebat
ac Florentium caste servavit honorem,
exsulat a patria, varias depulsus in urbes.
Haec Volaterrano in populo dum forte geruntur,
dum parat injustus socialia rumpere jura,
inferri fraudem Sullanis civibus ullam
passa minus, variis Irim Saturnia pennis
laeta Fluentinam caelo demisit ad urbem.
Illa Petri Medicis pulchram petit aurea virgo
progeniem, Tuscum quae temperat arte Leonem.
Ast, ubi inauratos ingressa est Diva Penates,
protulit haec roseo Thaumantias ore locuta :
"Quae te nunc, Medices, quae vestram diligit urbem,
de vobis summas quae gestat pectore curas,
ad te praecipue me mittit regia Juno,
ut referam Furiis velut exagitatus amaris
nunc Volaterranus tristes sub pectore versat,
ecce, dolos, fraudes varias meditatus et artes :
nam, quo decipiat vos nunc argutius omnes,
mittere legatos finget, quibus ille superbus
hos repetat cives vestra qui forte morantur
urbe suos, quamvis hos nec repetisse licebit ;
sed tamen efficiet : nam si responsa malignus
aspera suscipiat (quae vos tamen esse daturos
non dubitet, quoniam quae sint non justa petantur),
hinc ferat id graviter rabidas succensus in iras,
hinc justas odii causas sumpsisse nefandi
censeat in vestros non aequa sorte Quirites.
Hinc sibi vel faciles ansas malus ille putabit
oblatas, quibus a vobis (ita mitibus asper !)
defecisse velit, socium aspernatus honorem.
Concitet hinc durum violato jure tumultum,
hinc ruat in pugnas non aequo Marte feroces,
hinc urbis claudat disrupto foedere portas.
Necnon Invidia, Furiis agitatus et atris,
eviolare Lares vestros temptabit iniquus ;
sed frustra, Medices : nam te nunc maxima Juno
protegit, et Tuscos te consultore Quirites
victores tandem faciet patriumque Senatum,
praesertim populo si persuadebis Etrusco,
clarior ut quo nunc nemo est nec major in armis
ipse ducem bello concordi voce Senatus
et plebs constituat, rerumque impendat habenas
unus ut Urbinas equites Federicus et acres
ducat in arma viros : subito quibus hostis iniquus,
cum ducis ingenio tum summis viribus actus,
pendebit sceleris poenas superatus acerbas.
Nam, Florentinas illo ductante cohortes,
est nihil in terris quod desperare queatis,
sit licet id summum ! Quin maxima quaeque sub armis

sunt vobis speranda Ducis virtute supremi ! "
Dixerat, et variis depicta coloribus alas
se tulit e medio tenuesque recessit in auras.
At Medices, quamquam memor est Junonis amicae
dictorum, licet haec acri sub corde volutat
quae statuenda forent contra qui jura fidemque
fregerit et patrios violarit fraude Penates,
attamen, ingenio cum sit mitissimus ille,
aequius esse ratus placidis prius omnia verbis
pertemptanda sibi, quam perturbare quietem
Sullanam bello, nostra quicumque fuissent
hactenus urbe gravi detenti crimine, laesam
ob majestatem populi laesumque Senatum,
hos Volaterranos aedem moniturus ad unum
convocat in sacram divae Florentis ; et omnes
huc ubi conveniunt, multorum stante corona
talibus est placido Laurentius ore locutus :
"Huc, Volaterrani, mentes attollite vestras,
et monitus audite meos ! Nunc pectore firmo
sit vobis praesens animus, timor omnis abesto !
Hortor ut haec vestris graviter suadere velitis
civibus ut nullas nimium properanter agant res,
neve novi quicquam vestra patiantur in urbe
moliri, quicquam neu nunc inquirere temptent
amplius, haec populi quia sit clementia nostri,
hunc apud ut veniam facilem sperare queatis,
praesertim si curetis ne jura fidesque,
quam servare decet sancte, violetur ab ullo,
neve sit inconstans quisquam, qui fraude maligna
legibus, ut fas est, justis parere recuset.
Quae si feceritis vel praemia certa daturos
haec Florentinos scitote, ut vestra sit olim
sese Sullanis urbs defensura sub armis
semper, et infesto securaque vivat ab hoste.
Nam dabit id populus vobis tum ductus amore
usque Fluentinus, tum quod non esse videtur
aptior ex his finitimis modo gentibus ulla
ad vestram validis tutandam viribus urbem,
Quam quae Sullanos habitat gens Tusca Penates.
Namque potentatus alios procul esse videtis,
in vos surgenti cuiquam ne bella tyranno
pro vobis subito valeant inferre tuendis,
auxilium vobis properanter opemque laturi.
Fac tamen ut possint afferre petentibus illi
rursus opem vobis, non his tamen inde maneret
in vos idem amor, aut eadem foret inde voluntas
in vos quae nobis sociali jure fuisset,
ante quidem multos jam continuata per annos ;
at velut utilitas suscepti causa laboris
esset et auxilii vobis quodcunque tulissent,
illis utilitas finis sic ultimus esset,
Scilicet ut rebus vestris potirentur et acri
vos servitutis sub conditione tenerent ! "
Dixerat ; ast illi verbis gravioribus acti
concivem in patriam subito misere volentem,
qui cives reliquos, patria simul urbe manentes

atque domi, prudens hortetur voce benigna :
huc aliquem celeres reliquorum nomine mittant
ex his qui summosque gradus ibi forte tenerent
quique magistratus curamque decemque viratus
personam gererent, hanc ut legatus in urbem,
Romanus fuerat cui miles originis auctor,
accedat mandata ferens, quibus ille potentes
Sullanos roget ut statuant praestare salutem
ac Volaterrano veniam dare velle petenti.
Nec mora ; missus adest ex iis Acontius unus,
quos gravis Allecto nigris agitasse colubris
dicitur imprimis. Hic, cum responsa tulisset
optima, Sullana nimirum ex urbe profectus,
non tamen haec, patrias rediens ubi venit ad oras,
integra pertulerat, falsis sed mixta per artem
edidit (infelix !) Furiali percitus oestro.
Namque, ubi cognovit certam dare velle salutem
jam Florentinos, modo quae sint jussa facessat
ac Volaterranus veniam petat, improbus ille
omnia permiscet, veritus ne pacis amatae
sic cives patrios omnes amor unus haberet,
hanc omni cuperent ut conditione tueri.
Ergo, ubi quae populus Sullanus pacta dedisset
exposuit, veris commiscens falsa per artem,
"Talia confictis mentitus vocibus," inquit,
"dat Florentinus pacem veniamque petenti
nunc Volaterrano populo, si jussa facessat ! "
Hoc ubi quod verum fuerat bene protulit ille,
addidit et falsum, cum jam quae pacta tulisset
diceret haec eadem fieri non posse priusquam
e Volaterranis duo, quos gravis eligat auctor
Sullanus populus quales videantur, eidem
ad grave supplicium rapiantur caede nefanda !
Haec ubi dicta dedit verbis conficta malignis,
quisque sibi timuit graviter (calor ossa reliquit)
id sibi ne veniat quod dixerat ille futurum :
tantus enim furor inde viros invaserat omnis
ut minus audirent populi mandata ferenti
optima Sullani : sic illi, tristibus acres
acciti Furiis et numine tristis Erichthus,
rem Volaterranam in pejus rapuere labantem,
quae fuerit collapsa prius cum nulla probarent
pacta, Fluentinus quaecumque putasset habenda,
urbe sed a domina jam defecisse pararent :
ut quos infelix miseros agitarat Erinnys !

## LIBER II

V_2
Interea versis aperitur maxima centum
undique cardinibus stellantis regia caeli ;
huc Pater ad sese superos ubi forte vocavit
Juppiter, in solio medius consedit eburno :

namque dies aderat - celeberrimus ille dierum -
quo Deus aethereum in sedem dira bella moventes
terrigenas nitido detrusit ab axe Gigantes
fulmineque impositum dejecit Pelion Ossae.
Victor enim dapibus mensas onerabat opimis
omnibus accitis ad se de more quotannis
ut festos agerentque dies canerentque Tonanti
victori laudes summas Cyllenia proles
Delius ac vates divini carminis auctor,
inque vicem citharas modulatus uterque canoras.
Atque ipsum, laetos agitat dum pectore motus,
dum Florentinas prospectat desuper urbes,
talibus alma Jovem Venus est affata supremum :
"Audieram, manibus Sullanis moenibus olim
fundamenta dei Martis cum jacta fuissent,
protinus in fastis volventibus affore tempus,
quo, cum Tyrrhenos Medices Laurentius acri
usque gubernaret, veluti facit, arte Quirites,
debeat inde suos in longum extendere fines
rite Fluentinus, priscos imitatus honores
stirpis, et egregius Romani nominis heres,
nullus ut extremis populus sit partibus orbis,
si modo fata sinant, Tyrrheni jussa Senatus
temnere qui cupiat, Sullanae gentis et ipsum
audeat imperium qui detrectare sub armis.
At modo, summe Pater, contra tua fata ruentes
cum Volaterrani non aequa sorte ferantur,
scire velim causam tanti venit unde furoris.
An quisquam est hominum qui temnere jussa Tonantis
audeat, aut temptet Superum se opponere Fatis ?
Certe ego, sollicita primordia mente volutans
Florentinae urbis, qua conditione fuissent
te duce facta, Pater, quam forti sidere Martis
constabilita mei, nullos secura tyrannos
suspectos habui, ne moenia laederet ullus
Florentis patriae, licet hic gravioribus acer
viribus irrueret Tuscam non aequus in urbem.
Adde quod ingentem necnon spem, summe, dedisti,
Juppiter, haec Lydis foret ut caput urbibus olim,
tempore quo recti Medices Laurentius auctor
Sullanas regeret propriis virtutibus arces.
Nunc Volaterranos cum jam furialibus armis
accingi videam contra socialia jura,
inque Fluentinos graviter prorumpere cives,
quos veluti caros decuit coluisse parentes,
quis te proposito potuit removere priori ?
An tua, summe Pater, sunt haec promissa fidesque
quae rata per Stygiae juraris stagna paludis
confore ? Sicque Patrem rerum violare tenorem
te decet ecce tuum, aut sic tua vertere fata ? "
Haec ubi dicta dedit, rosea cervice refulsit ;
at Deus omnipotens, vultu quo nubila caelo
depellit genitor tempestatesque serenat,
attigit ore genas natae, dehinc talia fatur :
"Ne dubita, stabili quoniam nec ab ordine cedunt
nunc mea fata, Venus : Medicum domus una manebit

urbibus usque caput Tuscis, velut ante fuisset !
Ex quo divinus moderandi frena Leonis
suscepit Cosmus Patriae Pater optimus olim,
audebit nullus posthac - mihi crede - tyrannus
eviolare domos Tuscas : sic vertitur ordo
fatorum, ternae statuunt sic fila Sorores ;
quin etiam fines patriae Laurentius acer
proferet in longum, duce te, duce Marte feroci,
cujus et auspiciis Florentia moenia constant.
Tunc Etrusca quibus se tollet gloria rebus,
aut quibus imperiis, Petri cum maximus olim
natorum patrios tutatus ab hoste Penates
inde Fluentinam victor remeabit ad urbem !
Nam Volaterrani quod tantum audere videntur
in Florentinum, priscos augebit honores :
Sullanis veniet cumulatior inde potestas !
Namque ubi jam populis bellandi finis utrisque
extremus dabitur, cunctos Leo victor in annos
Tyrrhenus tandem victae dominabitur urbi,
cuncta sub imperium redigens loca, saevior hostis
jampridem propria quae sub ditione teneret,
aut sibi quae quondam semper possessa fuissent."
Sic ait ; inde suo genitor de vertice natam
advocat, atque : "Leves talaribus indue pennas,"
inquit, "et Urbini summos pete, Diva, Penates,
atque haec fer celeres, jubeo, mea dicta per auras :
dic paret ut sese fortis Federicus ad arma
in Volaterranos, penitus qui fraude maligna
defecisse volunt sociali foedere rupto
a Florentino populo, quique impia saevi
sollicitant varios jam nunc in proelia reges.
Ergo nefas tantum quo possint pellere cives
Sullani, quorum me nunc tenet optima cura,
ductorem belli facient populusque Paterque
huncque volent tantis rebus caput esse supremum.
Jam sibi legatos Sullana ex urbe profectos
affore commemora, qui maxima munera portent,
argentique ferant qui magnum pondus et auri.
Ast hunc, ne qua tamen remoretur causa volentem,
dic modo se properet tantis bonus addere rebus,
ut, cum legati venient mandata ferentes,
instructas acies quam primum in proelia ducat,
unde Fluentinam victor Federicus ad urbem
ingenti partos referat virtute triumphos :
venit enim tempus quo Florida moenia crescant,
crescat et imperium populi Florentis in oras
extremas, Medices cum nunc Laurentius heros
temperet Etruscos propria virtute Quirites."
Dixerat ; at Pallas, summi mandata Tonantis
ut faciat, tenues fertur dilapsa per auras,
non aliter quam cum caeli de vertice summo
defert praepetibus sese Jovis armiger alis,
optavit quotiens humiles attingere terras.
Et jam dicta refert summi Dea summa Parentis,
protinus ac rebus jam se parat inde futuris
ille, jubente Dea ne quid remoretur euntem,

cum se legati Federici ad limina regis
sublimes in equisque ferunt, ac munera summo
summa Duci portant, Tusco mandante Senatu
ac Florentino populo : nam junctus uterque,
temporibus dubiis cum tantum instare pericli
cerneret atque ducem bello cum quaereret acrem,
misit ad Urbini Dominum, quem norat in armis
esse velut fortem quemdam de civibus unum,
protulit in Latio quondam quos Roma triumphans.
Ergo ubi conspectum Federici regis et ora
legati subeunt, solio dum sedit avito,
sic eques est placido Boniannius ore locutus :
"O decus egregium, quo non est major in armis
finibus Ausoniis, cui bello vivida virtus
cuique fides cunctos olim servata per annos
in genus omne fuit, quamvis foret hostis acerbus
is cui servares, ad te nos mittit euntes,
En, Florentinus subito populusque Paterque,
viribus usque tuis confisus uterque supremis.
Nam Volaterrani, quos est tutatus in annos
jam Leo complures veluti pater omnibus esset,
surgere cum fuerint contra socialia jura
ausi, quique nefas adeo committere dirum,
decrevit patriae jam nunc habeantur ut hostes,
audeat e nostris ne quis se attollere contra
Sullanos cives, ut qui peccasse feruntur
in nos dent poenas sceleris gravioris acerbas.
Cum summis igitur jam nunc virtutibus unum
viderit insignem te Florentinus et armis
fortibus eductum, cum nec superabilis ulli
ex illis fueris quos nostri temporis aetas
protulit egregios in Martia bella, nec ullus
omnibus e ducibus te sit praestantior aut te
dux modo sit melior ductandis milibus alter
aut nunc auctorem sibi quem magis ipse requirat
miles et imperio parere libentius optet,
cum tibi praeterea aspiret Fortuna benigno
afflatu, seu vis obsessas hostibus urbes
in libertatem fortis traducere primam,
seu rursus cupias aliquos obsidere fines,
sperat ut egregie possit depellere motus
protinus hostiles per te, modo ductor in ipsam
strenuus hinc aciem statuas prodire, feroces
tu modo quosque viros tam justa in proelia ducas.
Quo facere id possis, fulvi grave pondus et auri
mittitur, en, ultro, ne commoda forte volentem
te nunc deficiant, dum maxima facta parabis,
est animus nobis duce te quia vincere gentem
perjuram bello, scelus admisisse nefandum
hanc ut paeniteat. Quod si, velut omnis et una
Sullanus sperat populus Florensque Senatus,
feceris, haud dubita : nam praemia certa merenti
stant tibi, crede mihi, stant et virtutis honori
munera magna tuae, quo sis magis acer in hostes,
te juvet atque magis belli tolerasse labores."
Vix ea finierat, cum Dux quoque talia reddit :

"O utinam hae vires essent quibus arguor aut hoc
robur et ingenii tantum foret, ut tibi possem
nunc fecisse satis ; sed quicquid corpore toto,
quicquid mente queam, seu nunc quaecumque facultas
mi datur effundam vestris pro casibus omnem
ac si pro patria carisve parentibus essent
bella gerenda mihi ! Nam sic Florentis amore
ingenti capior populi, sic urget honesti
me ratio, possim pro quo deponere vitam,
viribus ut cunctis nunc sim satis omnia vestra
facturus causa ; nec me res ulla moratur
quominus hostilem subito veniamus ad urbem
militibus multis, ut jam sperare queamus
justitia freti causae Superumque favore.
Quin, breve per spatium nobis modo Juppiter adsit,
ad nos praepetibus victoria devolet alis ! "
Sic ait ; at pedites turmaeque parentur equorum
imperat : hinc iter ingreditur properantius urbem
ad Volaterranam ; quo cum venisset, et acres
junxissetque suos nostris, quos Jacobus ante
duxerat huc summo legati munere fungens,
sic Ducis est homines diffusum nomen in omnes
adventu subito, diros sic perculit hostes
strenuus ac nitidis veniens Federicus in armis,
ut quicumque viri fines coluere vetustos
sese dedentes Federici viribus omnes
porrigerent victasque manus venientibus ultro.
In castris haec dum fierent, Florentia summo
optima consilio Patribus de more vocatis
omnia consultat quae sint bona : namque repente,
ne quibus interea desit mens provida rebus,
mittitur inde Senas sapiens Donatus et arte
doctus ea, qualem dederat Cyllenius olim
nascenti, ut moneat cives ne ferre Senenses
auxilium statuant hosti neu foedere jungant ;
ni faciant, populus videant ne forte laturus
sit Florentinus graviter ! Dum talibus ille
commemorat, pedites passim lateque vagantes
invadunt agros, capiunt castella ruuntque
hostilesque locos cunctas regionis et oras,
vectantes raptas inimico a limite praedas.
At Volaterranus praetorem injurius ipsum,
quem Florentinus populus de more quotannis
mittere consuerat quondam, jubet ire Priores
protinus ad dominos, ne incustoditus honori
prospiceret patrio, neve in Nova Castra veniret,
esset si gravius quicquam meditatus in ipsum
praetorem saevasque manus iniceret hostis.
Hinc : Volaterrani, pugnae bellique gerendi
ignari licet usque forent, quia nullus in armis
usus erat, quamvis nulla experientia Martis
aeris et ad bellum data copia parva fuisset,
attamen elati, cum quicquid rustica proles
seu vini seu quid frumenti legit ab agris
huc tulerit velut ex undis compulsa marinis,
Sullano statuunt urbem defendere ab hoste :

stulti ! Qui contra molem durare supremam
aut se posse putent opibus contendere tantis !
Sed tamen efficiunt laeti satis, inde morantes,
donec et auxilium vicina ex urbe veniret
aut Florentinus solvendo exhaustus ab aere
continuum belli nequeat sufferre tenorem.
Hinc igitur tenui dementes aere ministros
belli conducunt pedites, quibus exstitit auctor
cum Venetus quidam tum cui Matricius esset
nomen : at, ii postquam fatis utrique malignis
ingressi penitus portas urbemque fuere,
laetitiam ingentem subitamque dedisse feruntur
obsessi cives : miseri ! quibus illa fuisset
causa quidem gravior qua protinus inde periret
jam Volaterranae libertas funditus urbis !
His ita confectis, Federicus ut acer in unum
composita e gravibus quae constet epistula verbis
misit, ut hunc ipsum placide bonus ille moneret
ne velit, heu, miserum tantae se credere pugnae,
at, decet ut victos, positis miserabilis armis
ut supplex tanti veniam petat ille furoris,
sint quia se propter non acria bella gerenda.
"Ast, ut perpetua lenti dehinc pace fruamur,
quam possint homines si suscepisse, priusquam
bella nefanda gerant aut in nova proelia surgant,
omnibus ex rebus nihil esse beatius usquam",
inquit,"nec melius quod nos optare queamus" ;
iis operam adjungitque suam - si sentiat hostis,
si velit - ut medium se dux ferat inter utrosque
ac Volaterranis placidam petat inde salutem
a Florentino, cui mens ita mitior exstat :
ne dubitet veniam quin sit bonus ille daturus,
dum Volaterranus Populi praecepta sequatur
Sullani semperque volens sua jussa facessat.
Scripserat haec Princeps ; ast, ii cum protinus aures
clausissent monitis, placidos properanter in hostes
castra movet ducitque viros urbique propinquat.
Qua sol exoriens nitidas agit arte quadrigas,
arduus est collis nullisque petentibus ipsum
est aditu facilis, sed, cum prope tangeret urbis
Moenia cumque foret necnon ibi grandis aquarum
copia, qua posset nimirum exercitus uti,
est quoque principibus visus locus aptus ut illic
castra locanda forent, acies Sullana maneret.
Est ultra portam silicem quae vergit ad ortum
ima petens vallis, duo quae complectitur in se
stadia. Cui valli dextra de parte per artem
haec via strata subest, sacram quae duxit in aedem
hanc, ubi divinus positis sibi Lazarus aris
excolitur templis sacrata in sede locatis.
At laeva de parte quidem magis ima petentem
spectabis vallem quae continuatur ab illa
quae prior est. Longe tamen ista profundior exstat
ultima quae ducit fluvium declivis ad Heram.
Nec procul a templis, quae diximus ante, supersunt
ii colles gemini, via quos jacet inter utrosque,

quae quoque finitimas sinuoso tramite ducit
inde Senas. Iter hac cum suscepturus et ipsos
Cum superaturus colles exercitus esset,
hunc Volaterranus, socio qui colle fuisset
altior atque illic etiam quia rursus aquarum
Copia magna foret scatebris surgentibus, omnem
occupat, et trabibus subito contexit acernis
et tabulata parat, sollers unde acer in hostes
saxa ruat tectusve queat pugnare sub armis.
Ast, ubi cognovit sapiens Federicus et ambo
legati duro penitus quod fiat ab hoste,
instituunt colles adoriri, ut strenuus acres
virtutem miles sic experiatur in hostes :
milibus hinc acie structa Dux imperat altum
protinus ascendant montem ; legit ipse cohortes
quae primum colles invadant agmine denso ;
hinc brevibus sapiens cum fortia pectora verbis
hortatus pugnas Dux erexisset in acres,
vincendi late spe conclamatur ad arma ;
omnibus inde quidem vox ingeminata remugit :
conabatur enim sollers Federicus ut illam
turrim in praecipiti stantem quam struxerat hostis
verteret ad terram praestanti robore, ne quis
inde suos queat in castris laesisse morantes.
Ergo ubi coeperunt nostri conscendere montem,
hostis, quo summam defenderet undique turrim,
arma parat subito, concurrit et agmine denso
ad loca quae fuerant graviori objecta periclo.
Eminus incipitur telis celerique sagitta,
remque gerunt hostes jaculandis undique saxis
e turri ; contra, nostri quoque missile telum
crebrius ingeminant, crepitans velut horrida grando
cum ruit aetherio summi de vertice caeli
densior in terras, quotiens Jovis ira minatur
acrius in miseros homines, quo tempore frustra
maturas viridis defendit pampinus uvas.
Jamque sub intextis tabulatis undique pugna
acrior inseritur : volvuntur ab hoste superbo
saxa super nostros ; illi tamen acriter hastis
oblongis ea ligna ruunt quibus improbus ante
tegmen ad illatos ictus sibi fecerat hostis.
Nec mora, nec requies : trabibus dum structa revinctis
moenia conscendit miles properanter, et alti
verticis hortando reliquos tenet usque cacumen,
cominus ad gladios ventum cum protinus esset,
sic hostes subito rapuit metus acriter omnes,
ut consternati fugerent, armisque potiti
omnibus iis nostri fuerint quae turpiter illic
liquerat aufugiens desertis collibus hostis.
Haec ubi confecit sapiens Federicus, ad urbem
castra locat, partes munitque cohortibus illas
et loca quae muris urbis magis apta fuissent
primum expugnandis. Reliquos, quotcumque fuerunt,
mortales jubet ut colles exercitus imos
obsideat nutusque suos ibi forte moretur
exspectetque Ducis monitus in proelia dandos.

His rebus subito Sullana in tecta relatis,
magna quidem populus suscepit gaudia Tuscus :
mentibus arrectis hilaris quoque funditur in spem
majorem ; ast aliique alios hortantur ut omnem
dent operam, diri penitus tollantur ut hostes
dentque graves poenas sceleris commissa luentes.
Hinc quoque festinant celeres tormentaque mittunt
bellica, bombardam, gravior quae machina muros
destruat urbanos deductaque moenia summis
montibus et summas consternat desuper arces.
At Volaterranus, colles ubi perdidit altos,
confractis animis post cives victus ab hoste
complures captos, se moenia continet intra,
hic ubi tristis agit Metus et Discordia demens
vexat et infelix Furiali accincta flagello
seditio miserosque rapit per compita cives,
non secus ac pueris agitatur verbere turbo
buxeus assiduo loris rapientibus illum
per fora perque vias et compita longa ruentem.
Perfidus hinc hostis, graviori quisque dolore
cum foret affectus rebus neque fideret ullis,
infelix varias diversi ad principis aulas
Mittit legatos, eadem mandata ferentes.
Praecipue Venetos homines Calabrumque potentem
constituunt hostes precibus contundere summis,
dedentes urbem, si ferre ruentibus ullam
vellet opem ut possent certam sperare salutem.
Qui simul audivit quae res foret ille petentes
reppulit, et longos tanti fecisse per annos
respondit Tuscos patres, ut quicquid in illos,
praesertim a sociis, statuatur acerbius, id se
ferre quidem gravius semper. Nec plura locutus
hos jubet e Calabro penitus discedere Regno.
Hoc ubi responsum Tuscam defertur ad urbem,
Scilicet ut gravibus rex Ferdinandus iniquos
sectatus Lydos verbis (quia patribus hostes
jam Florentinis facti neque jure fuissent)
reppulit, et patrios jussit remeare Penates,
acrius obfirmant animos ad proelia cives.
Rursus in hostiles Sullanis quilibet arces
delecti pedites mittuntur ab Insubre magno
protinus, auxilio nostris qui milibus essent
sescenti numero, sed cuncti fortibus armis
instructi. Tantis se praestantissimus addit
Ursinus comitem rebus, cum fortis equorum
duceret et turmas in proelia Marte feroces,
duceret et saevos huc qui pedes iret in hostes
Romano veniens ab agro Virgilius acer.
Viribus iis auctus cum tandem exercitus esset,
dux belli subito, Gradivi edoctus ab arte,
bombardis urbis muros ingentibus altos
usque adeo crebris diverberat ictibus acer,
ut breve per spatium ruerit fortissimus heros
maerorum partem vasto Federicus hiatu,
cujus quanta Ducis fuerit prudentia, quantum
ingenium certe licuit spectare volenti.

Illi fossa fuit, muros deducta sub ipsos
urbis et in spatium quae sic foret hausta profundum
miles ut innocue sese transferre per illam
cum velit ad muros obsessaque moenia posset,
desuper hanc quoniam contextis cratibus omnem
texerat ad crebros ictus et vimine denso
arboris et varie conjectis undique ramis
in tabulatorum morem, ne saxa, nec ullum
missile de summo noceat pugnantibus ipsis.
Hac igitur plures ad moenia parte subibant
expugnanda viri, veluti ruit agmine denso
e tenebris veniens angusta per ora cavatis
perque breves cuneos ingentem farris acervum
ut superet secumque ferens formica reponat.
Haec ita cum fierent nostris, tamen acriter hostes
viribus imparibus licet extra moenia quaedam
proelia committunt : nam descendebat ab urbe
tum pedes obsessa, porta quae ducit in oras
huc iter ingressos per compita longa marinas :
namque dolore gravi portis erumpere cives
confecti statuunt miseri, quos principis acris
auditum nomen subito retrahebat in urbem,
tanta quod invicto Federici e pectore virtus
surgeret ut contra subsistere viribus ullis
posse negent, validis veniunt quicumque sub armis.
Nec tamen interea vexare frequentibus ille
ictibus urbanas arces cessabat, ut actus
majorem secum murus trahat inde ruinam.
At Volaterrani reparandis moenibus instant
ne disjecta ruant ; sed, postquam certus ad aures
nuntius auxilium veniens sibi forte negari
rettulit a cunctis, Furiis agitantur, et omnes
quique magistratum gererentque decemque viratum
acrius incusant ; levitatem plebis iniquae
tum detestantur ; rapuit quos ultio cives
in scelus hos verbis etiam exsecrantur acerbis.
Cuncta quidem cupide, nulla ratione, per ipsam
namque gerebantur neglectis legibus urbem,
ut sine legitimo servato more creandi
hic modo praeriperet primas, licet ipse fuisset
ordine plebeio natus, modo rursus et ille
tractandas raperet populi non dignus habenas.
Namque magistratus quae protinus ante fuisset
summa quidem nullis inerat reverentia primi,
nec Volaterrana servatus in urbe priorum
exstitit ullus honos. Igitur, cum quisque salutem
speraret nullam nec pestem evadere belli
fideret, Etruscam legati rursus ad urbem
Quam primum celeres mittuntur, ut inde ferentes
illa decem dederat sibi quae mandata viratus
protinus exponant et Riccobaldus et alter
cui Petrus exstiterat nomen. Sed, moenia postquam
ii Sullana viri tandem subiere, locuti
ad Florentinos haec verba fuisse feruntur :
"Ad vos, o summi proceres, vestrosque voluti
ecce pedes venimus, delicti supplice nostri

voce quidem nobis pacem veniamque petentes,
in vos, at pulsi subito caecique furore,
praesertim cum non odio dicamur acerbo
in vos, at pulsi subito caecique furore,
deliquisse, Patres. Nam vos cum semper in omnes
nos animumque bonum quondam mentemque benignam
gesseritis, patrum similes, cum parva minanti
poena sit et patri nati pro crimine magno,
oramus minima ut poena nunc esse velitis
contenti, Patres, cum nostrum quisque paratus
sit, modo si libeat vobis, sufferre labores
ingentes - modo sit vobis ea certa voluntas
quilibet ut pereant, sceleris commissa luentes -
vel quascumque placet vobis persolvere poenas."
Haec ubi dicta, velut populus mandarat Etruscus,
sic fuit egregio Laurentius ore locutus :
"Quanta fides fuerit nobis cum mente voluto,
quam bonus aut animus quamque optima cuique voluntas
in vos, haud lacrimas valeo retinere cadentes,
talia cum fuerint ut, mens nisi laeva fuisset,
ni vos in pejus tristis rapuisset Erinnys,
optatam possent vobis praestare salutem.
At modo, cum tanto Florentis nomine laesa
majestas populi fuerit, vindicta nefandi
publica delicti jam suscipienda videtur.
Nam, ratio nostri si nunc habeatur honoris,
nil sit quod deceat populum promittere vobis
ex his quae cupitis nostrum, nisi libera nobis
moenia tradantur sine condicionibus ullis !
Quod si feceritis, poterunt suadere quod olim
exstitit in vobis fidei quoque vestra futurum
verba mihi ac solitum pariter dehinc velle tenorem
continuare quidem, vobis dum jura supersint.
Haec Florentinus populus cum signa videbit,
in vos, ut semper fuerat clementior, idem
exsistet veterem servans, nisi fallor, amorem.
Sic igitur vobis melius sperare potestis
rursus et afflictis melius confidere rebus."

## LIBER III

V_3 Ut responsa gravi Laurentius edidit ore,
legati patrios subito rediere Penates,
jamque bonum populo suasisset uterque quod esset
consilium, rabido ni gens agitata furore
agrestes misere duxisset in arma feroces,
Allecto quoniam, tempus bene nacta nocendi,
signum agreste canit graviter, quo pontus et omne
intremuit nemus et silvae intremuere profundae.

Nec satis hoc fuerit, ni se Dea saeva furenti
monstrasset populo, non hac velut ante fuisset
visa sub humana specie sed qualis ab atra
haec Styge consurgit, qualem pater atque sorores
hanc vidisse solent, visam fugisse, nefandos
tollentem colubros atque horrida colla tumentem.
Namque, ubi perspexit veluti concordia late
in Volaterranos coepit diffundere vires
hosque Fluentinis dare velle petentibus urbem,
intonat horribili penitus succincta flagello
(invidia graviter diram comitante sororem),
atque ita terribili sonitu permiscuit omnes,
protinus ut celeres illi, velut agmine facto,
correptis facibus ruerint et ad arma feroces
haec se contulerint quae dat gravis ira furori.
Nec mora, nec requies, dum qui Florentibus olim
favissent populis perdant miserosque trucident !
E Volaterranis sed cum sibi quisque caveret
pestibus in tantis, juvenem - miserabile visu ! -
inde Fluentinum foede rapuere sub armis
vestibus abscissis, nudato pectore, tantis
confixum jaculis quantis Polydorus in agro
Thracensi fertur cum ferrea crevit arundo.
Profuit haud aetas tenero nec vita pudice
acta, nec innocuas semper spectata per artes,
quominus arriperet Furialibus ipse ministris
hunc Volaterranus confossum vulnere crudo,
ictibus et crebris lacerum crudeliter ora
figeret atque modis trepidantia pectora miris,
ut locus in faciem transjectaque corpora ferro
exstaret solidus nullus, pars integra nulla
in cute disrupta misero superesset in illo.
Tum vero Urbinas justas exarsit in iras,
cum Florentina de nobilitate creatum
hostibus accepit crudeli morte peremptum,
hancque Fluentino Dux vim pro nomine monstrat
hos animos laeso, castris ut uterque videret
legatus vires necnon exercitus omnis
adventasse novas : nam milibus ille ... [lacune]
aggreditur muros et moenia dividit urbis,
non secus ac leo, cum praedas invadit oviles
disruptis saeptis, seu cum lupus acer in agnos
fertur, ut arripiat, custos licet undique saeptum
claudat et hinc summum temptet defendere vallum.
At Volaterranos tristes metus acer habebat
discordes, omnis late rationis egentes,
ut quos in Furias miseros agitabat Erinnys,
ordine Bellona nullo rapiente cohortes
urbanas vario Dirarum turbine, qualis
nascitur inter se gravior certantibus Euris
protinus in varias a mundi vertice partes ;
sicque magistratus nulli reverentia primi,
nullus honos aderat cum baccharentur ad unum,
vexati gravibus Furiis ac Martis iniqui
usque adeo stimulis, ut jam de caede suorum
consilium caperet quisquis de plebe fuisset.

Haec Volaterrana cum sic agerentur in urbe,
dux breve per spatium speraret ut arce potiri,
strenuus ille tamen nihil inde remittit in horas,
militis officium cum nunc Federicus obiret
nunc ducis egregii, noctesque diesque per artem
omnia molitus, summa quibus optimus ille
hostibus incutiat summos virtute timores,
dedere dum statuant urbem gravioribus hostes
casibus atque novis Federici viribus acti.
Jamque dies aderat quo moenia victa subire
debebat Princeps magna comitante caterva ;
ingenio tamen is miti cum praeditus esset
nec minor huic homini foret et prudentia rerum
quam vires, captam cunctis intrantibus urbem
instituit mirus foret observandus ut ordo,
obsessa fieret ne dirus in urbe tumultus,
aut aequo gravius ne turbaretur in illa.
Ergo probis ducibus subeundi moenia cura
est data, militibus jussum ne saevius usquam
quis agat, excelsas intrat dum victor in arces.
Gabriel e castris igitur Malespina sub armis
primus adest, peditum qui sit comitante caterva
ordine venturus Federici primus in arcem.
Regulus hinc Montis porta quae subjacet arci
ingressurus erat, captam dum tendit in urbem.
Creditus at cui pro meritis exercitus omnis
ductandus fuerat summis, fortissimus aedem
inter et Andreae disjectaque moenia Princeps
se fert insignis tali Federicus honore,
illorum qualis fuerat quos viderat olim
urbs Romana domum longos ductasse triumphos.
Audeat in tristes ne quisquam irrumpere victos
per loca quae grandi fuerant collapsa ruina,
Jacobus huc ipsam tercentis milibus acer
per portam veniens arcis fora publica certe
occupaturus erat. Talis fuit omnibus ordo
servandus, veluti Federicus censuit unus,
qui reliquis ducibus tanto sapientior exstat,
cetera sol vincit quanto magis aureus astra.
Hic tamen est ordo nulli servatus, eorum
culpa qui penitus celassent omnia plebem
verba quidem quae jam de deditione fuere
facta prius, primis quae non nisi nota fuissent
civibus ; unde gravis dissensio coeperat ipsos
conductos homines Furiis agitare malignis
tam graviter, cuperent ut moenia tradere nobis,
clam reliquis miserae si possent civibus urbis.
In Nova nam Venetus cum Castra veniret ab urbe
perfidus obsessa, quo proderet hostibus illam
(sed frustra, quoniam depulsus ab hoste fuisset
proditor ut dirus montes abiturus in altos),
audiit in reditu plaudentis ab arce cohortis
Sullano voces populo quae forte faverent.
Hic, cum quod factum fuerat ratus esset ut ipsi
jam Volaterrani tum moenia victa dedissent
clam Veneto nobis, conclamat voce superba,

ac se deceptum queritur, nec multa locutus
advolat Andreae templum sedemque sacratam,
huc, ubi bombardis jam moenia fracta ruissent,
insubris ut populos prorumpere cogat in urbem,
hunc gravibus quoniam suffecta Megaera venenis
ostentans angues invisit dira nefandos,
quo magis instimulet juvenem ne linquat inausum
neve intentatum quicquam Dea saeva remittat,
quo magis et Venetum ad praedas invitet iniquas
insubris et populos in moenia transferat acres.
Hos urbem intrantes sequitur quoque copia major,
imperio sine cujusquam, qua parte locorum
moenia tormentis penitus convulsa fuissent.
Ad nos in roseis surgens Aurora quadrigis
vix se contulerat, nullo cum quisque tumultu
miles in accepta veluti cupit urbe vagatur,
ut cuncti cives, quicumque sit obvius illi,
sicut compositum fuerat venisse putarent,
scilicet ut positis animis hostilibus urbem
quilibet ingrediens hac conditione veniret,
urbis ut imperium caperet dumtaxat et arcem.
At Venetus, cum se spretum nimis ante putasset
omnibus a sociis in dandis moenibus et cum
insuper hunc gravibus stimulis agitasset Erinnys,
protinus exclamat : "Praedam quicumque cupitam
diripuisse velit, comitemque ducemque sequatur
me modo nec dubitet sacros violare Penates
dum sibi praeripiat quod Fors objecerat illi."
Dixerat ; et captam quam primum pervolat urbem ;
nec mora : complures fatali hunc sorte sequuntur.
Tollitur hic subito sublatus ad aethera clamor,
omnibus ut praedam sic est ea cuncta repente
urbs ibi visa rui, multos quia tristis Erinnys
attonitos faciens Furiis ita verterat atris
ut, licet imperiis sapiens Federicus et ipsi
legati gravibus Venetum sociosque monerent
ne quid agant rabide, ne depraedentur et urbem,
attamen hunc illi tantum sedare furorem
haud poterant : tantus rapuit furor acriter omnes
praedandi, tantas vires sibi fecerat ardor.
Protinus aerato franguntur cardine postes :
attonitae matresque simul timidaeque puellae
crinibus, heu flentes passis caeloque supinas
tendentes cum voce manus tam dira queruntur
consilia illorum, patriam qui funditus omnem
perdiderant, rabido cum pelleretur avita
quaeque domo mulier bello, velut ipse minores
turbat aves caelo gravibus Jovis armiger alis.
Acta furore novo pars deveniebat in aedem
publica quae fuerat ; pars ad pia sacra deorum
fert se templa petens ut proxima quaeque fuissent,
confidens illic aliquam sperare salutem.
Nec tamen haec miseras fiducia sola fefellit :
nam, quae praestari in tanto potuere furore,
praestiterat casu tanto Federicus in illas,
omnis ut intactas aetatis et ordinis omnis

milite vel cunctas penitus servaret ab acri
inclusas templo quodam, velut esset asylum,
quo tamen haud licuit cuiquam se ferre virorum.
Si qua tamen fuerat graviori victa dolore,
urbe vagans tota, quae se nesciret ad illum
inde referre locum quem cetera turba petisset,
haec, ut tuta foret, deducebatur eodem :
sacri tanta fuit Federico cura pudoris.
Quis vir, quis, gemitus, Musae, memorabit acerbos,
ni vos auxilium fertis ? Clamoribus horum
horrendis qui sunt victricia castra secuti
et miseris matrum miserarum vocibus urbis
omnia complentur lacrimis gemituque dolentum.
Jamque diem referens Titan lustraverat orbem,
legati et sapiens cum dux Federicus in armis
per portam silicem turmas equitesque volantes
quoslibet obsessam traducunt protinus urbem.
Inde forum subeunt celeres, pestemque malignam
postibus avertunt aedis quae publica quondam,
dum fortuna fuit, civiles sumere curas
consuerat, populus quotiens venisset in unum.
Jamque vias urbis sapiens Federicus obibat,
legatique simul, si qua ratione cupitam
afflictis rebus possent afferre salutem ;
omnia sed frustra penitus conantur ob illos
quos furor invasit rapiendae maximus urbis,
his quia tam magnus ferretur ad aethera clamor
principis ut vox haec summi praecepta monentis
milite, dum fureret, non audiretur ab ullo,
imperio posset nedum parere jubentis.
At videt ingenti Princeps ubi cuncta furore
compleri nimium, videatur ut esse nefandis
cedendum Furiis, veluti sapientior unus
omnibus, instanti quam primum cessit Erinni,
ingentem gravior dum se furor ille remittat,
donec et incipiat tantas deponere vires.
Mox, ubi cognovit superas ut saevior auras
liquerat Allecto rabidos satiata furores
infernum repetens et nigri Tartara Ditis,
Urbinas Princeps medium volat inde per agmen,
hortaturque viros verbis gravioribus omnes
amplius in misera ne debacchentur in urbe.
Talibus edictum praeconis voce severa
jungitur - ut graviter legatus uterque monendum
jusserat - , accepta ne quis foret ausus in urbe
ultra meridiem captos rapuisse Penates :
ni faciant, capitis poenam cuicumque minatur.
Ast simul hi monitus Federici atque aurea verba
accipiunt, cui nec minor est prudentia rerum
juncta nec ingenii bonitas minor insuper astat,
non aliter quam cum, ventis quatientibus aequor
tollitur in caelum variis surgentibus undis,
dum mare caeruleum verrit gravis Auster et atra
tempestate ruit, si tum caput egit honestum
partibus ex imis, Neptunus temperat iras,
sic Ducis egregii praesentia protinus omnes

impulit usque adeo ut monitis parere volentes
paulatim inciperent dirum sedare furorem.
Commotus magis egregia virtute monentis
atque Ducis verbis melior quicumque fuisset,
quam mala terribili praeconis voce minantis,
excepto Veneto, qui, cum Furialibus acer
exagitaretur curis per compita, dirus
perque vias urbis debaccharetur abactae,
quaesitus multum laqueo suspenditur ; inde
vita fugit subito tenuesque recedit in auras,
ut miser admissi poenas daret ille supremas
ac sceleris graviter lueret peccata nefandi.
Quae vis exstiterit praedam rapientis ab urbe
militis ingentem per compita longa viarum,
per vicos varios, per apertos undique campos
non memorare queam : nam quae sibi forte supellex
exstitit obsessam tulerat securus in urbem
agricola, heu, fatis nimium confisus iniquis,
ut modo non urbis tantum pretiosa sed omne
quod fuit egregium ruris rapuisse ferantur.
Haec procul hostili cum sic traherentur ab urbe
cumque profanarum rerum nihil esset inhaustum,
non tamen abstinuit miles sacrisve pepercit :
sic amor arripuit gravis hunc sceleratus habendi !
Namque sub insigni templo dum singula lustrat
rimaturque frequens miles quod raptet iniquus,
ausus in aethereos mundi qui temperet axes
injecisse manus : scelus, o scelus, impie, tantum
eloquar an sileam ? Quo condita membra supremi
sunt Jovis atque sacrum corpus manet, ipse nefandis
id vas, id, manibus rapis improbus ! Inde superbus
(pro, scelus !) admisces praedae rebusque profanis !
Nec dubiis ea signa dedit temeratus Olympo
Juppiter ex alto : portae namque undique clausae
sunt, homo ne sacro posset discedere templo ;
quin oculis virtus abrepta videntibus ante
et fuit et geminos factus fuit orbus in orbes !
Hinc tamen admonitus scelus ut tam triste piaret,
cum vas ad muros illideret ille superbus
ac Deus ad terram confracta e sede repente
illaesus caderet, tum terrae motus in urbe
maximus est factus tota, ne major ab ullo
auditus fuerit post condita moenia quondam.
Hinc datus est finis praedae, cum quisque timeret
urbs ea ne rueret motu concussa nefando.
Quae mens aut animus fuerit mulieribus ipsis
e templis vacuos redeuntibus inde Penates
vix meminisse queam, mutatio maxima rerum
cum foret in pejus confecta. Prioribus omnis
demptus honos, omnis majestas dempta per annos
protinus innumeros, victor velut ante cupisset,
qui nec ut inferret quicquam grave tristia bella
victis movisset, nec ut ullum laederet, hostis
hic licet exstiterit, sed ne sua gloria cedat
fracta loco, cupiat pro quo deponere vitam.
Hinc etiam capti, qui deditionis iniquae

auctores fuerant, rebus qui forte novandis
favissent : pars exsilium subit altera late
per loca Florentis populi perque oppida, pars et
altera carceribus fuerat damnata severis.
Est tamen, est miseris permissa licentia victis
civibus, in patriam ut redeant, quicumque verentes
rebus in extremis hanc deseruere cadentem ;
namque tulit graviter populus Sullanus, ut urbem
direptam audivit, quam conservare libenter,
dummodo vicisset (tanta est clementia !), vellet,
pluribus e signis velut ostendisse benignus
fertur et in castris veluti legatus uterque
monstravit, casus longe miseratus acerbos,
ut Dux, heu, verbis miseros solatus amicis,
ut Florentini Sullana in moenia patres
vigintique viri, quibus est data cura suprema
ne detrimenti caperet res publica quicquam.
Inter quos primus Medices Laurentius acer
sic virtute nova nituit magis omnibus unus,
est Titan reliquis veluti fulgentior astris.
Hi nam pro illatis furioso a milite damnis
proque redimenda praeda statuere volentes
publicus ut sumptus res compensaret ademptas.
Hic Volaterranae finis fuit ultimus urbis,
exitus hic gravior ; quam nec Romanus in annos
complures domuit, sapiens Federicus eamdem
paucorum spatio propria capit arte dierum.
Hunc tam digna manet victricis gloria palmae.
Discite quid possit Discordia pessima, cives
qui regitis patrias, aut quid Discordia demens,
heu, valeat miseras interbacchata per urbes.
Nam Volaterrana fuerat nil fortius urbe,
nil fuit uberius ; tamen haec agitata furore
inque suos sic est socios oblita decori,
caedibus ut postquam fuit exsatiata suorum
civilique manus maculavit sanguine diras,
invicti subito Federici evicta supremis
viribus antiquos amiserit illa Penates
atque magistratus libertatemque vetustam,
pro qua servanda suavem deponere vitam
quisque vir exoptat, ne serviat ille, sed acer
imperitet potius, potius sua jura sequatur.
At Florentinus, susceptis moenibus urbem
ut magis obfirmet, positis custodibus arcem
aedificat summam, surgat ne quando malignus
hostibus a victis quisquam qui jura fidemque
audeat in domitos olim violare potentes ;
ne tamen a solitis discederet ille benignus
moribus et solitos obmitteret ille tenores,
egregia statuit victos clementior arte
instaurare quidem tristes ac munere laeto.
Adde quod et Medices huc se Laurentius heros
contulit, ut caperet solandi munus in hostes
qui quondam fuerant, casus miseratus acerbos.
At praestans animi juvenis simul attigit urbem,
est simul ingressus victos bonus ille Penates,

aspectu reficit clementior unus, et omnes
it favor in miseros, dum verbis pectora mulcet
grandibus, exhaustos dum blando munere donat,
laetior ut Bacchus, maturas vitibus uvas
cum grave pampineis tempestas fregerit atra,
Sirius aut gravibus radiis combusserit ardor,
aspectu reficit vires redditque feraces,
aut cum flava Ceres, frontem redimita corona,
languentes spectans rabidis a solibus agros,
per campos quotiens circum caput egit honestum,
irrigat imbris aqua fruges, aut grandine quassas
cum levat et solitum jubet illa redire vigorem.

## LIBER IV

V_4 At summus noster summo mandante Senatu
inde magistratus curat Federicus in urbem
Sullanam veniat, duce quo Victoria nobis
se tulit ingenti Fortunae accita favore,
protinus egregiae stent ut sua praemia laudi,
et capiat meritos Urbinas victor honores.
Jamque dies aderat, quo Florida tecta subiret
accitus propere multis cum milibus heros,
ducat ut aequalem meritis bonus ille triumphum,
obvius ad portam civis cum quisque supremo
usque Duci veniens illum comitatur euntem
huc ubi sumendo datus est locus amplus honori.
Urbe quidem media solitus quo rite Senatus
cogi, celsa nimis quadrato Curia saxo
tollitur : hanc habitat Sullanae maximus urbis
usque magistratus, rerum dum tractat habenas
dumque suis leges populis meditatur honestas.
Inde gradus terni subter radicibus exstant
nascentis muri, quales habuisse theatrum
fertur in urbe Remi quondam dum regna manebant,
possit ut his gradibus sedeat quicunque videri
a populo, veluti cavea suspectet ab ima.
Hos de more gradus Etrusci vestibus ornant
Attalicis, quotiens quibus est data summa potestas
quosque vocant dominos ineunt sua munera primi
prima magistratus aut magnus cum petit urbem
Sullanam quisquam Tyrrhenaque moenia Princeps.
Huc ubi pervenit multis comitantibus heros
atque triumphanti similis Federicus et omni
consensu populi summo donandus honore,
desilit acer equo dominisque fit obvius urbis.
Quos ubi complexus, miro succensus amore,
ascenditque gradus sessumque receptus in unum,
dum stupet admirans hominis tam grandia facta
quilibet atque Ducem spectat dum miles honorem

miratus summum, populi miratus et ora
conversa ad podium, Princeps ubi forte sedebat
admixtus dominis, tum facta silentia cunctis.
Scala magistratus jussu, quem protinus unum
edocuit proprias sapiens Cyllenius artes,
sic est de summis Federici laudibus orsus :
"O Dux, o decus Italiae, quo major et armis
nullus in Ausonia nec bello clarior alter,
quo me dicendi, Princeps, tua maxima facta
raptat amor ? Non haec humeris est sarcina nostris
convectanda : gravi premerer sub pondere, sacrum
de te dicendi praestet nisi Musa favorem,
conveniens gestis spiret nisi carmen Apollo,
cum tu, sive regis divino numine Princeps
teque domumque tuam, seu rem quae publica fertur,
quicquid agas ita te rebus geris omnibus acer,
nullus ut in Latio, penitus si cuncta revolvas,
inventus fuerit te nunc sapientius uno
qui se, quique domum, melius qui temperet urbem.
"Ast ego principium, tot nunc memorare volenti,
unde mihi sumam ? Sic urget copia rerum
ut quod praecipue referam modo nescius errem :
nam sic a puero te moribus imbuis aureis,
Socratis ostendit ratio velut optima nobis,
ut nihil ad mentes quo pertinet arte levandas
praeteriisse velis, Pietas hinc aurea certe
Erigoneque venit, lances quae temperat acri
omnibus arte pares ; post hanc tibi carior auro
cana Fides alboque venit circumdata panno
et quas praeterea nunc est mora longa referre.
Nam tu quam pius exstiteris, Dux optime rerum,
deditus aut fueris quam religionis honori
omnibus in rebus, Princeps venerande, gerendis,
acta docet sancte semper tua vita, quod ullum
temporis haud spatium praetermisisse videris,
quin ut pontificis quidam de sorte sacerdos
hymnis incumbas noctesque diesque canendis.
"Quid modo quam sancte statuas quoque rebus agendis
principium referam, si, dum celebrantur in aris
sacra Jovi supero, praesis tu primus honori
divino, tantis animi conatibus, ut jam
omnibus exemplar sis religionis honestum ?
"Justitiae quantum tribuas, Federice, decoris,
abs te culta Fides quam sit, pater optime, norunt
jus quibus edicens aequa sic lege ministras,
mirentur patres ut te, miretur ut omnis
usque tuus populus, gravitas quae tanta gerendis,
quae sit tanta tuis necnon constantia rebus,
vix ego quam sanctis domus hinc tua tota piisque
imperiis regitur possim memorare canendo.
"Moribus usque probis se plebs simul instruit omnis
te duce, quamque suos caste colat illa Penates !
Jure quidem nam tu scelus admisisse nefandum
qui cupiere, jubes patria procul urbe fugari,
hos quia non secus ac saevam, Dux optime, pestem
insequeris, scelerum vindex fraudisque repressor,

ne quis ab ingeniis fraudem traxisse malignis
possit, ut aspecta livorem ducit ab uva
quae bona corruptas si tangit et uva propinquas,
nullus ut omni parent qui de legibus acres
flaminiis numero nunc inveniatur in orbe,
ecce, tuo, curis qui non se dedat honestis.
"Usque adeo cives laudanda negotia curant,
semper suntque bonis intenti rebus habendis,
ut, licet ad votum segetes non rite ministrent
arva sed interdum videatur abesse quod optet
incola neve suis jam colligat usibus apta,
attamen haec abs te regio cum legibus aequis,
Urbinas Princeps, divina e sorte regatur,
quo nec in Ausonia Dux est sapientior alter :
ingens semper adest cunctarum copia rerum.
"Quid memorem summis quot tu virtutibus acer
praemia summa paras, quot tu quicumque sequuntur
Pieridas dederis praestantia munera, Princeps,
cum Florentini cives testentur honesti
a quibus est aliquid scriptum quod nomine dignum
duxeris esse tuo ? Quis enim fuit urbis Etruscae
ex his qui gravibus vigilata volumina curis
inscripsere tibi cui non data dona supersint,
En, tua Castaliis semper celebranda Camenis ?
"Quin etiam, si qui non aequa sorte fuerunt
urbibus expulsi patriis, non jure, sed acri
Fortunae invidia, miseros ita suscipis omnes
sic opibusque tuis bonus est quicumque levatur
ut regnum petiit quisquis, Federice, Laresque
forte tuos, atra ceu tempestate superstes
sentiat in portum se traduxisse quietum.
"At modo tu quanta sapiens pietate tueris
usque sacerdotes castos dum sacra ministrant
omnibus est notum : sic tu praecepta Tonantis
excolis, ac sanctos altari imponis honores.
Post, ubi templa deum perfectis ordine sacris,
exis, teque domum recipis, Federice, Laresque
invisisque tuos, veterum penetralia regum,
das operam Musis longam, veneraris easdem,
consulis atque Deas quae sint facienda, tuisque
quae populis cunctis, quae civibus undique prosint :
ut Numa Pompilius Musis Phoeboque sacratam
fertur Aricinam vallem coluisse, Dearum.
Consilio nitens, ut, tamquam numen ab illis
divinum rediens, leges meditatus honestas
consulta Egeria, consultis rite Camenis,
Romanoque daret populo, monitisque severis
devinctum sacra sub religione teneret.
"Hinc ergo historias nostri cumulatius omnes,
versibus et quicquid prisci cecinere poetae,
quicquid et in causis Cicero memorarit habendis,
et quaecumque gravi dat Quintilianus ab arte.
Denique Socraticos hausisti ut pectore mores.
Verborum et varias didicisti quaslibet artes !
Noscendas rerum voluisti inquirere causas,
et pretiosa novis impendere tempora curis,

omnibus e summis rebus tibi ne quid abesset ;
in quo magnorum, Princeps, exempla secutus
diceris esse ducum : Macedum nam maximus armis
qui fuit et latum domuit qui maximus orbem
viribus indomitis, plures ut semper in annos
fertur Aristotelem prudens habuisse magistrum
ad cunctas rerum noscendas ordine causas,
ut te, Panaeti, coluit praeque omnibus unum
Scipio Stoicidam, sic tu, Federice, supremos,
ne quid ab illorum norma videaris abesse,
suscipis, ecce, viros, qui, seu peregrinus ab urbe
discedis quotiens venit haec tibi certa cupido,
sive domi maneas te circumstante corona
horum qui Musas Graias didicere per artem
quique viri Latias multum coluere Camenas,
quocumque incedis semper comitentur euntem,
ut tibi non desit qui possit in omnia tecum
disseruisse quidem graviter, proque omnibus acer
vox per ut armorum sonitus audita frequentes
saepe sit illorum qui Phoebo digna loquuntur.
Quae licet ut facias ductus virtutis amore,
sola tibi summae quia sit sapientia curae,
attamen assequeris (velut ipse potentior armis
omnibus es reliquis et forti robore, Princeps,
artibus ingenuis superes sic quemque tuorum),
munus Aristoteles quod Principis esse fatetur
vel proprium, patrios qui temperat arte Penates.
Otia dum sequeris, Princeps, placidamve quietem,
attamen, agnosses cum tu quae gloria justae
militiae maneat cunctos qui fortibus acres
defendunt urbes, defendunt regna sub armis,
illi te totum sapiens, Federice, dedisti
viribus indomitis. Nam te Natura creatrix
pacis uti studiis, armis sic protulit aptum,
sit nihil ut docta quod quisquam possit ab arte
discere seu longo valeat sibi sumere ab usu
quin id perfectum longe videamus et in te
exactum : tantae laus et tibi gloria curae !
"Sigismundus enim testis Malatesta futurus
maximus est, quocum certamina summa fuerunt
ante tibi : quis enim Fora vir Sempronia nescit
abs te sint quanta penitus virtute recepta ?
Nam graviter sic vos inimicus adegerat ardor
alter ut aut esset vestrum periturus in armis,
se daret aut alter victori ut victus acerbo ;
sed cum praepetibus Victoria venerit alis
teque Ducem vultu spectarit amica sereno,
sic memorant illa te usum clementer in hostem
ut nil praeterquam victoris nomen habere
malueris, Princeps, cum tu non aspera bello
egeris, at fueris mitissima quaeque secutus ;
hostis enim natos, cum se tibi forte dedissent,
pluribus es verbis ita consolatus utrosque
jusseris hos ut spe posthac meliore futuros
semper et egregio donatos munere missos
feceris atque tamen promissis ante levatos

pluribus, ut certam spectaret uterque salutem.
"Non ego quam praestans animi, Federice, fuisti
transierim, cum tu Florentia moenia fortis
illo tutatus sis tempore, maximus ex quo
hic, cujus monitis parebat Apulia quondam,
invasit nostros multis cum milibus agros :
extemplo nam tu deducto milite velox
finibus e vestris nostras venturus in oras
auxilium nobis festinus opemque tulisti,
cui grave consilium fuit et prudentia rerum
tam gravis in cunctis graviori ex arte gerendis
ut, velut Hannibalem Fabius contriverat hostem
cunctando, patrios veluti servasse Penates
dicitur, Urbinas pariter sic hostis acerbi
diceris insultus in nos pressisse nefandos
cunctando Tuscosque Lares servasse per artem.
"Acres obmitto jam tunc apud oppida pugnas
Aemiliae, Princeps, ubi claruit optima virtus
cum tua tum gentisque tuae pugnantis in hostem
acrius. Ast animi qualis praesentia, quantus
exstitit atque vigor, quam forti pectore cum tu
Ariminum e longa sic obsidione reducis
in libertatem veterem statumve priorem
ut, raptis signis et pluribus undique captis
militibus, castris aderant quaecumque sub ipsis
impedimenta tuis fuerint direpta maniplis !
"Quin et Alexander Dux Sfortia maximus olim,
cujus tot bellis fuerit bene cognita virtus,
nec non Ursinus, vir praestantissimus inter
ductores primos equitum, dum Martia fortes
obniti contra pugnando munera curant,
vulneribus crudis graviter confossus uterque
optatam petiit fugiens sibi quisque salutem.
"Qua vi nunc Fanum memorem expugnaveris urbem,
qua virtute Novas Palmas, aut ampla tulisti
saepius hostili superata ex urbe trophaea ?
"Una satis dederit modo cum Victoria nobis
per te parta quidem signi quam maxima virtus
sit tua, quam cunctis celebranda annalibus olim,
jam decoris jungis modo vir tibi maxime tantum
dum Volaterranas expugnas viribus arces,
ut dubitet nullus quam sit tua gloria summa,
Quam veterum nullis ea sit cessura triumphis,
te quod in hostili sic obsidione gerentem
vidimus, in cunctis vir praestantissime rebus,
omnibus ut late pateat quid denique possis,
urbes sive cupis bonus obsedisse sub armis,
seu cupis obsessas duro defendere ab hoste.
"Quis vir namque fuit qui te caruisse putarit
consilio, Princeps, acri, cum mente volutas
eventus varios varia quoque sorte futuros ?
Quis vir ut efficeres aliquid maturius ex te
optavit, gravibus dum tu geris omnia curis ?
"Laudibus egregiis Fabium velut ante vetustas
atque duos eadem spectavit ut ante Catones,
ut mirata tuos, Sertori, maxima rerum

astus Roma fuit, saevos dum proteris hostes
acri non minus ingenio quam viribus, utque
omnibus est Poenis summo dignatus honore
Hannibal, Italiam qui jam (licet usque ruenti
obvius huic fieret validis exercitus armis
Romanus), plures totiens vexavit in annos,
ut Mithridates <rex> Ponto laudatur ab omni,
in bellis astu ducibus quod utrisque gerendis
maximus exstiterat, sic tu, Federice, supremis
tolleris in caelum nimirum laudibus, inde
nil quia versutum fuerit meditatus uterque,
nil vafrum, quod te, Princeps fortissime rerum,
fugerit, hostilem superas dum viribus urbem.
Nam neque Fortunae fidens, temeraria cum sit,
hac sed summa tibi quae sit sapientia fretus,
omnia semper agis tibi quae facienda supersint !
"Quid referam certa videas ut mente futura
quae nos fata manent, nec tam praesentibus acer
in bellis quam cum populis mirantibus olim
strenuus obsessam circumdas milite forti
Ariminum validasque regis virtute cohortes ?
Namque ferunt triduo prius edixisse quod omni
instabat genti quae te fuit usque secuta
rite bonum, ac vere te verba fuisse locutum,
scilicet ut celeres esset ventura per auras
flatibus et vobis aspiratura secundis
protinus auratis Victoria promptior alis.
Ne tamen haec quam sit sententia vera negarit
quisquam, sum testis certissimus usque futurus
hanc ego qui legi quae nuper epistula de te
ad nos missa fuit, tanti praenuntia veri.
"At Volaterranas, vir, nunc apud, optime, turres
congressu geritur dum res gravis undique primo,
quod tibi consilium, quae mens fuit inde futuri
praescia, quamque novis penitus celebranda poetis !
Ingenti nam dum formidine quisque tenetur
difficilem ob collem et montis loca propter iniqua,
ardua, praesertim cum lignea turris ad auras
desuper acta tuis castris instaret et acres
omnibus incuteret noctesque diesque timores,
solus fatidicis afflatus numine verbis
divino, Princeps, summi capita aspera montis
te superaturum praedicis et artibus iisdem
expugnaturum turrim, quae surgit in astra,
lignis et gravibus nimium contexta catenis,
ut Deus hanc ipsam tibi nunc videatur Apollo,
de Jove quam summo sumpsit, praeque omnibus, artem
fatidicam, veluti quondam tibi multa dedisse
dicitur egregia et meritis cumulata supremis,
hanc, Federice, tibi penitus tribuisse benignus,
cum tu fatali quaecumque e sorte trahantur
non aliter moneas solitus quam tempore prisco
Phoebus erat quotiens fuerat responsa daturus.
"Quin idem, fati tamquam certissimus augur,
ante urbem captam dixisti saepe futuros
eventus nobis, quod tanto majus habendum

omnibus est, quanto reliqui minus esse putandum
crediderant homines : nam cum foret omnibus una
tempore nobilior quas Lydius accipit orbis
Urbs Volaterrarum (fortissima moenia cujus
qui coluere viri quondam, nisi fallor, honesti
municipes fuerant Romano a sanguine creti),
in summo posuisse suas sic vertice sedes
dicitur ut montes aditus minus esset in altos.
Attamen ipsa Ducis penitus fortuna supremi,
cui quoque summa foret sapientia juncta per artem,
causa fuit subito ut colles superentur iniqui
difficilesque situs summique cacumina montis.
"Res erit haec igitur cunctis memorabilis, et quam
posteritas annos semper miretur in omnes
cuique fidem possint vix ullam adhibere minores,
cum tandem spatio viginti et quinque dierum
(namque tot intersunt ex quo disjecta ruisset
lignea turris et est Tuscis urbs capta colonis)
posterus accipiet cunctisque probantibus arces
vi Volaterranas in jus, dum jura refringunt,
inque potestatem nostram venisse subactas,
hae quia sic animis in nos ferrentur iniquis
casibus ut tantis vel summa pericula longum
vitarit populus per te Sullanus in aevum.
"Nec Florentini, modo vestra pecunia vobis,
cives, causa fuit, non ipse exercitus armis
fortibus instructus, vos ut Victoria tandem
expeteret, quoniam fuit exsuperanda supremi
difficilis natura loci, quae vinceret omnes
una quidem vires vestras : sed maxima virtus
et Ducis imperium sollers, labor undique summus
noctes atque dies minus interruptus, et acris
denique cura fuit qua vos victricibus armis
maxima ferretis superato ex hoste trophaea.
"Caesar enim veluti Romanas Julius olim
maximus et spoliis veluti Marcellus opimis
quo voluit duxit turmas, Thebanus ut acer
Epaminonda suas ductavit saepe phalanges
quo verbis placidis verbisque minacibus ullis
haud potuisse ferunt prius has ductare, sed acri
exemplo, gravibus dum se objectare periclis
non renuunt illi, sic te, Federice, secutas
ducis eo structas Gradivi ex ordine gentes,
dum grave nil refugis, dum nulla pericula vitas,
ut nos e summo deduxeris usque periclo,
cum nihil exstat quod jani timuisse queamus.
"Est ita nam duce te penitus stabilita per omnes
res modo nostra gradus, ut nunc ea cura supersit
- simplex illa - mihi grates qua solvere dignas
et possim et meritos tibi qua referamus honores,
quos tamen ante Deo summos debere fatemur.
Hinc tibi, summe Ducum, quem Juppiter optimus unum
rebus in his primum te jusserit esse ministrum
usque suum, Princeps, igitur tibi gratia tanta
per nos quanta potest agitur ; debemus eandem !
Nam modo qui possum grates, Federice, merenti

nunc tibi pro tanta dignas virtute referre ?
Cum modo non eadem quae quondam praemia dentur
invictis ducibus sed sit mutata per omnes
haec ratio populos, quae muneris ante fuisset
observata viris tradendi fortibus olim ;
hujus apud priscos nec jam modus exstitit unus,
sed fuit et varius, quo praemia certa dabantur
pro meritis : hinc usque sacros duxere triumphos
victores, quorum Bacchus fuit ante repertor ;
hinc populus multos vidit Romanus ovantes,
Postumius quibus ante fuit certissimus auctor
Tubertus, victis cum fortior ille Sabinis
vectus equo rediens patriam venisset in urbem ;
myrteus hinc honor effulsit ; tua laurea, Phoebe,
est data victori Crasso prius omnibus ipsi,
cum laetus Romam servis remeasset abactis.
"Quid memorem structas ingenti ex aere columnas ?
Quid tabulas, quid signa feram statuasque per artem
erectas, ducibus certissima praemia summis ?
Quid ponam sculptos insigni ex arte Colossos ?
Namque dies me deficiat si cuncta reponam,
est quibus ampla ducum virtus ornata priorum.
"Temporibus nostris ratio mutata sed omnis
est veterum, variosque modos sibi repperit usus
noster in ornandis ducibus, quos cum velit in te,
en, Florentinus servare, jubente Senatu
quae populus sanxit, statuit dare certa merenti
praemia, quo pateat cunctis quae mens animusque
sit suus, en, in te tam maxima facta gerentem.
"Ergo, cum populus longe meminisset Etruscus
quae duce Gradivo pulcherrima gesseris olim,
strenuus es postquam tu Martia castra secutus,
protinus hac meritum galea te donat equestri
vexilloque super variam cui rubra per artem
lilia funduntur spatio contexta sub albo,
omnibus aeternos pateat quo semper in annos
ingenti velut ipse tuo, Dux magne, periclo,
dum te nec propriae ratio tenet ulla salutis,
traxeris e summis paulo nos ante periclis,
armatus cives etiam tutatus inermes.
Rursus, cum pacem tranquillaque tempora nobis
sic dederis Latiis ut jam videare daturus
haec eadem, nedum Sullanis civibus, omnes
concordes animis faciendum duximus, ut te
civilem ad statum nunc invitemus et ipsas
civilesque magis curas studiumve quietum.
Nam scio non minus ex acri nos esse laturos
consilio fructus, hac sis quod in urbe daturus
tranquilla, quam militiae suscepimus olim :
quod tamen ut possis melius fecisse tuoque
consilio nostrum valeas ornare Senatum,
quas habites aedes semper tibi rite dabuntur.
"Haec non esse satis, Princeps, te digna putamus
praemia, virtuti nec convenientia tantae ;
sed nihil est habeat quod nunc Florentia majus
aut praestare queat quod nunc tibi summa merenti,

quam modo quod cunctos urbs haec tibi donat in annos :
intima corda quidem primum tibi tradimus ergo,
inde voluntates, animos, mentesque paratas
omnia ferre tibi dum spiritus hos regit artus
dumque muris stabunt Florentia moenia celsis !
Sic amor invitat nos ut faciamus et urget
tam novus ut queat hunc nullus minuisse virorum
in te, non fatum, non invidiosa vetustas.
Haec oculis, Princeps, si spectaremus, ut ipso
cernimus haec animo, velut haec quoque mente videmus,
non foret hic opus ut signis quodcunque lateret
pectore sub nostro nunc monstraremus et arte,
dum natura viam latebras aperiret in omnes,
tradita neve mihi provincia tanta fuisset
ut planum facerem tegitur quod mente sub ima,
sic ingens, nihil ut tandem cumulatius exstet,
usque adeo verbis ut si memorare velimus
quod latet intra nos manet aut quod mente repostum,
dicendi tantos nequeamus ferre labores."
Dixerat ; at, postquam finem dedit ore loquendi
Scala, magistratus gradibus quem summus ab altis
jusserat egregias Federici edicere laudes,
insequitur plaususque virum clangorque tubarum.
Consurgunt domini, simul et Sullana juventus
Sullanique patres, ac te comitantur euntem
ad portas urbis, populi subeunte corona,
undique perque vias dum corruit ille patentes
visendi studio : tanti facit ampla merentem
te bonus ille, viros tantum veneratur in omnes.
Hinc iter emensum patrius te suscipit orbis,
hinc Lucullani capiunt, Federice, Penates,
quos struis ut quondam populus Romanus in urbe,
dum Fortuna fuit, struxisse Palatia fertur.
Invises Musas illic veneratus amicas
laudibus innumeris graviter tua facta canentes,
ut decet has quibus et sedes, vir summe, dedisti
sedibus in patriis, decoris tibi ne quid abesset.
Illic ut Latii quondam cecinere poetae
Caesaris acta ducis, postquam domitaverat orbem,
sic te divino celebrabunt carmine vates,
en, Florentini ; nomen laudesque tuasque
protinus insigni referent, Federice, Camena.
Tu tamen, Urbinas, opera inter talia, Princeps,
hortatus reliquos scribes tua maxima facta,
facta cothurnato penitus referenda Maroni !
Rebus enim ut summis quas gesserat addidit amplas
ingenii dotes Caesar scripsitque quod olim
fecerat, egregia dicendi edoctus ab arte,
sic tu, cum rebus quas gesseris optimus armis
addideris studium quo sis meliora secutus
otia, nec desit tibi quod Natura creatrix
Tradidit ingenium quo Dux modo summe per artem
summa notare queas, referes tua gesta triumphis
digna novis, nulli cedens in honore priorum.